Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3135
Quelle:
Copyright:

Agilus conff. *Solina*, *Phara*, *Baltidis* virgines ſatis peregrini paene omnes. Finem imponit Officium pro Mortuis. Theca anterior in folio typis excuſo prioris Seculi poſſeſſorem prodit *Antonium de Lamare D. de Cheneuarin*, cujus Stirpis Scriptores duos novimus *Nicolaum* et *Philibertum*, additis cum deſcriptione *heraldica* ejus Insignibus aeri incisis.

DCCCXCIV.

498 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 200. 4. charactere grandi, eoque nitidiſſimo exaratus, literis initiorum coloribus auroque adumbratis, titulisque miniatis, eſt *Horarium*, ſcriptum, ut videtur, in *Auguſtana* Dioeceſi, nam in *Calendario* praevio ad diem 4. Julii rubro legitur: *In Auguſta Vdalrici epiſcopi*, ad diem 7. Aug. *In auguſta affre martyris*, ad diem 12. *In Auguſta Hylarie et ali.* ad diem 6. Sept. *Magni abbatis*, ad diem 22. *Mauricii et ſoc.* ad diem 28. *Dedicatio matricis ec. Aug.* ad 29. Oct. *Narciſſi epiſcopi et martyris*. Calendarium ſequuntur Excerpta Evangeliorum, ut *Cod.* DCCCLXXI. Paſſio *Chriſti* ſecundum *Johannem*. Officium. B. V. M. Pſalmi Poenitentiales cum Litaniis. Officium pro Defunctis. Officium de S. Cruce. Orationes variae ad Deum et Coelites, item ante et poſt Euchariſtiae ſumtionem perſolvendae. Maximum Codici ornamentum accedit a nitidiſſimis Picturis, quarum ſex finitae ſunt, una inchoata, ductibus tantum linearibus deſignata altera. Quae exhibentur, haec ſunt: *Johannes* in lebete olei, *Chriſtus* orans in monte *Oliveti*, Salutatio Virginis Angelica, Ejusdem Viſitatio, Corpus *Chriſti* Sepulchro inferendum, *David* Populi peſtilentiam deprecans, Servator cruci adfixus adſtantibus Suis, et Ejus in *Jordane* Baptiſmus. Margines παρεργα ornant, ſaepe parum pertinentia; ita Pueros, quibus efformandis maxime ſtuduiſſe videtur Artifex, muſicos, venatores, luſores videas. *Fol.* 82. *Chriſto* crucem bajulanti obponitur triumphus *Romanorum*, inſignitus anno MDXXIII. qui annus operis conditi credendus, quamvis ultimam illi manum non impoſitam fuiſſe, praeter dicta teſtantur Folia aliquot vacua Picturis deſtinata et complures Literae initiorum ſolis ductibus indicatae.

DCCCXCV.

Codex membraneus lat. Sec. 850
XII. Folior. nunc 188. 8. eſt enim utrinque mutilus, luculente et eleganter perſcriptus, rubricisque enotatus ſacras *Precationes* continet, quarum praecipuae partes ſunt: *Curſus de Spiritu ſancto*, et *de VII. donis ſpiritus ſancti*. Prior Feminae eſt; orat enim: *ut talis inueniar in eius iuſtiſſima examinatione, qualis facta ſum in lauacro feliciſſima regeneratione. ut eius medicamine imbuta, ſacroſancti lauacri ablutione lota, bonisque operibus decorata ad eterna gaudia perue-*